





Grundbuch

I

5

N<sup>o</sup> 3<sup>d</sup>

Zur Bibliothek des Königl. Kollationsamtes  
Militär- und Infanterie-Regiments



---

PECCATVM  
IN  
SPIRITVM SANCTVM

---

AD  
SACRA PENTECOSTES  
PIE CELEBRANDA  
IN ACADEMIA IENENSI  
PROPOSITA  
COMMENTATIO  
SEXTA.

---

LITTERIS IOANNIS FRIDERICI SCHILL.

\* A. SCHILLER IN HOC SCRIPTO. JENAE. MDCCC. XII. P. 100. R. B. 108.

iscentia  
litem

quanta  
que, ci-  
elestem  
christia-  
que illu-  
os largi-  
a est, vt  
pfo deo  
e inter-  
tis pe-  
sanctis-  
ac cogi-  
ollocet  
autem,  
tem er-  
ente-

RASMVM  
zbeolog.





DEI GRATIA  
ERN. AVG. CONSTANTINVS

DVX SAXONIAE IVLIACI CLIVIAE MONTIVM  
ANGARIAE ET GVESTPHALIAE LANDGRAVIVS THVRINGIAE  
MARCHIO MISNIAE COMES PRINCIPIS DIGNITATE HENNE-  
BERGIAE COMES MARCAE ET RAVENSBERGAE

DYNASTA RAVENSTEINII REL.

RECTOR ACADEMIAE IENENSIS  
MAGNIFICENTISSIMVS

SPIRITVS SANCTI GRATIAM

PRECATVR

C I V I B V S.

**Q**UID reformatae ecclesiae doctores de peccato in spiri-  
tum sanctum statuunt, ut nunc percenseamus quidque  
in illorum sententiis veri falsique insit, monstremus,  
ordinis leges postulant. Istos inter se distare ac pecca-  
tum hoc explicandi, variam diuersamque inire rationem,  
scripta, quibus posteritati nomina sua commendarunt, abunde  
comprobant. Patet tamen simul ex iisdem, alios in expla-  
nanda hac re a veritate longius discessisse; alios contra  
propius ad eam accessisse, ita ut illi seruatoris effatum de  
peccato in spiritum sanctum non recte, hique non falso  
quidem; minus autem adcurate ac eo modo, qui sufficiat,  
exposuerint. Ad istos pertinent, qui peccatum hoc non  
ad spiritum sanctum; sed ad christum eiusque miracula re-  
ferunt atque opinantur, fieri illud, quando seruatoris facta,  
supra naturae leges posita, oppugnentur. In horum numero  
est HENRICVS HAMMONDVS: \* *aduersari, inquit, seu obloqui  
spiritui sancto; vel spiritui dei, nihil aliud est, nisi oppugnare  
miracula christi, quibus constabat, eum agere potentia dei qui-  
busque adeo testabatur deus, iesum eum esse, quem ipse se esse  
dicebat, nimirum messiam promissum.* Falsam esse expositio-  
nem hanc, ex eo haud difficulter intelligendum est, quod  
christus peccata in filium hominis atque in spiritum sanctum  
expresse discernit ac pronuntiat, consequi eum posse veniam  
atque

\* adnotation. in nou. testam. Matth. xii. 32. tom. 1. p. 108.



atque in gratiam cum deo redire, qui in filium hominis peccet; neutiquam autem, vbi id contra spiritum sanctum fiat. Nec ad difficultatem hanc tollendam sufficiunt, quæ HAMMONDVS subiungit his verbis: *binc iam liquet, quare differant duo hæc peccata: loqui aduersus filium hominis et loqui aduersus spiritum sanctum. In prius labelantur, qui non credebant, iesum esse messiam, quum non aderant illa signa euidentia, quæ, eum messiam esse, probabant, quamuis ipse adfirmaret: in posterius, qui resistebant fulgidæ miraculorum luci, quum ea edi ab illo viderent, quia si eam agnouissent, iesus instar messie excipendus fuisset, quod illi nolebant, quod talis non esset, qualem sibi messiam finxerant, temporalis scilicet seruator ideoque eius miracula adfirmabant, diabolica potentia edi.* Quam enim constituit, differentia peccatorum in filium hominis et in spiritum sanctum ita comparata est, vt, illam non solum contortam esse; verum etiam cum ipsi rei; siue naturæ peccati in spiritum sanctum; tum verbis christi aperte repugnare, facili negotio quisque perspicere possit. Sane peccatum hoc non ad sola christi miracula spectare, satis liquet, si cum seruatoris effato coniungere velimus dicta diuina *epistola ad ebraeos VI, 4. sq. X. 26.* vbi apostolus scribit, nullum locum poenitendi atque ad deum reuertendi iis relictum esse, qui, postquam beneficiorum, a christo nobis adquisitionum, participes facti fuerint, a deo deficient huiusque filium sibi iterum in crucem tollant, hocque nomine itidem peccatum in spiritum sanctum significat, sine vlla miraculorum christi mentione. Si quis etiam præfracte ac malitiose sibi sumat, admirabilia seruatoris nostri portenta oppugnare iisque indicere bellum; minus tamen existimandum est, peccatum hoc, licet id in se grauissimum sit, omnem spem veniæ impetrandæ auferre. Qui enim ita peccat, is omnino diuinam gratiam recipere: per illam emendari: ad fiduciam, in christi meritis collocatam, adduci ac pristinam dei benignitatem recuperare potest. Confirmant hoc satis luculenter exempla illorum, qui quum hostilem animum erga iesum: eius doctrinam, disciplinam ac miracula adhuc monstrassent, sapere postea coeperunt ac christum, antea ab ipsis contemptum: immo



iniuriis ac maledictis laceffitum, veluti seruatorem suum amplexi sunt. Ac quis cum HAMMONDO sibi persuadeat, in christi sermone *Matth. XII. 32. dicere contra spiritum sanctum*, a filio hominis distinctum, idem esse, ac contra christi miracula pugnare; siue per *spiritum sanctum* tertia trinitatis persona; siue, vti verba hæc sacri ordinis patres, nominatim HIERONYMVS, HILARIVS, AMBROSIVS, ATHANASIVS atque alii exposuerunt, seruatoris diuinitas intelligatur.

IN ordinem eorum, qui inter reformatos de peccato in spiritum sanctum minus recte commentati sunt, adscribendus etiam est THOMAS HOBBSIVS. Is enim existimat, propriam vocum significandi vim illum haud negligere, qui dictum christi de ecclesia interpretetur, veluti prædictionem de pontificis romani eiusque ministrorum nimia in illos seueritate, qui in virtute spiritus sancti negarent, præfules romanos tali præditos esse auctoritate, qualem illi sibi tribuant, ita vt *blasphemare spiritum sanctum* significet *blasphemare ecclesiam*, ac christus inter suam lenitatem atque episcoporum romanorum duritatem instituat comparisonem. Sententiam hanc ipse HOBBSIVS scriptam reliquit, hoc modo: *manifestum est, spiritum sanctum, tertiam personam trinitatis, missum esse paracletum, eo sine, vt ecclesie vsque ad finem mundi adfisteret, et proinde blasphemare in spiritum sanctum non improprie dici posse blasphemare in ecclesiam. Videtur ergo hoc loco seruator noster, suam ipsius in peccatis condonandis lenitatem et facilitatem comparare cum seueritate pastorum ecclesie erga illos, qui auctoritatem eorum spiritualem parui facerent, tamquam dixisset: vos, qui potestatem meam adspexerunt: vos, qui me crucifixistis, quoties vos poenitebit et ad me per resipiscentiam conuertemini, misericordiam meam sentietis: quodsi potestatem eorum, qui vos posthæc docebunt, in virtute spiritus sancti negabit, erunt illi inexorabiles; neque in hoc mundo vobis ignoscent; sed sine absolutione puniendos relinquent, quantum in illis est, in seculo futuro. Atque ita verba illa seruatoris nostri pro prædictione; siue prophetia sumi possunt seueritatis hominum ecclesiasticorum in regno pontificis romani.\** At quis non videat, inter-

\* *leuiathan. cap. XLIV. part. III. oper. eius philosoph. p. 302.*



terpretationem hanc a mente christi plane alienam esse; nec ullam probabilitatis speciem præ se ferre, siue ad rem; siue ad verba, quibus seruator utitur, animum aduertat. Sane illa tam difficilis: tam coacta est, vt christi sermoni non lucem adferat; sed eum reddat obscurum: vt fere haud credibile sit, posse quemdam ita cogitare; aut suspicari.

AD eandem classẽ referri potest: MOSES AMYRALDVS, qui statuit, illos in spiritum sanctum peccare, qui christum agnitiõnem abiiciunt, non metu, non spe; sed animo ab utraque illa re libero atque vacuo,\* minus apte: immo nec vere. Malitia enim, qua quis impulsus christum antea cognitum, abiicit, quemadmodum AMYRALDVS loquitur, non semper tantam mentis prauitatem secum coniunctam habet, vt neque poenitentia fieri; neque diuina gratia recuperari queat. Simili animaduersione censoria digna esse videntur, quæ IO. CLAVDIVS protulit, peccatum in spiritum sanctum consistere in defectiõne a christo eiusque communiõne cum consensu deliberato, ac caracterem istius in eo positum esse, vt homo in reiectione christi permaneat vsque ad mortem, contra lumen cognitionis, quod christus, vnicus noster seruator, sit, licet eum aliquo modo amplexus fuerit. Addit idem auctor, peccatum hoc satis esse frequens, quum plerique in christianorum gente christum ac doctrinam illius non aliter recipiant, nisi in peruersa opinione, se et ipsi et prauis suis cupiditatibus communi studio seruire posse.\*\* At vero CLAVDIVS latius peccatum hoc sumit, quam iusti eius termini postulant, ideoque ea omittit, in quibus vera istius essentia sita est, ita videlicet comparata, vt quis perpetuo ac contra conscientiam officio atque operationi, ad conuersionem relatæ, spiritus sancti resistat. Qui christum in omni vita sua reiecit atque in hoc perditissimo mentis statu ad mortalitatis finem permanet, ille iacturam quidem sempiternæ felicitatis facit; tale autem peccatum, quale et CLAVDIVS describit, non est peccatum in spiritum sanctum. Eiusmodi enim homo potuif-

A 3

set,

\* in thesibus de peccato in spiritum sanctum, quæ translatae sunt in Synagma thesuum rheolog. Salmurienisum,

part. IV. p. 10.

\*\* oper. posthumor. tom. IV. p. 53.

sq.



set, si voluisset, se ad deum conuertere. Non longe abest, quin NICOL. GVRTLERVM adnumeremus, vtpote qui peccatum in spiritum definit per *conuicium*, quo quis dicit, *veritatem salutare esse mendacium: esse contemptu dignam et spiritum eius auctorem esse mendacem.* \* Latius hæc pronuntiata esse, quam res fert, apertum ac manifestum est. Nonne inter hostes sanctissimæ religionis nostræ sunt, qui dogmata illius ac facta errores ac fabulas esse, scelerate atque impie affirmant, quemadmodum de iudæis: de turcis ac variis scripturæ sacræ aduersariis constat? Num omnes hi culpam peccati in spiritum sanctum sustineant; nec ne? merito quæritur. Res dura esset ac temeraria, si id adserere vellemus. Nullum peccatum, quamuis id in se magnum sit, omnem pœnitendi facultatem: omnem spem de venia a deo impetranda præcidit, nisi id ea ratione committatur, vt quis gratiam spiritus sancti, ad emendationem eius comparatam, tamdiu, repugnante conscientia, contemnat, quamdiu viuat, id est, vere in spiritum hunc peccet.

SINGVLARIS præterea est sententia DANIEL. WHITBII, peccatum in spiritum sanctum non tam cogitationibus atque operibus; quam verbis fieri: discrimen esse inter spiritus sancti operationes, extra ordinem susceptas, atque illius dona, quibus intellectus illuminetur: ad illas pertinere miracula: ad hæc respicere peccatum in spiritum sanctum. Quibus antepositis, certum esse putat, eo tempore, quo christus in terris his vitam degerit: quo teste *Ioann. vii. 39.* spiritus sanctus nondum aduenisset, crimen hoc nec perpetratum fuisse; nec potuisse committi. Ac quamuis de eo christus cum pharisæis sermonem instituerit; id tamen non alia de causa factum esse, quam vt istorum animos a longioribus maledictis in filium hominis eiusque miracula auerteret atque impediret, quo minus spiritus sancti dona, mox hominibus danda, contumelia adficerent, vtpote quibus, veluti vltimis gratiæ documentis, deus ad pœnitentiam eos sit vocaturus. Id quod vt probet, cum ad argumentum sermonis christi, rem quippe non factam; sed adhuc futuram; tum ad eiusdem preces

\* *institurion. rheologicar. cap. xi. §. 22. p. 163.*



preces prouocat, quibus pharisæis veniam a deo expetierit, ac monet, hoc minus fieri potuisse, si peccato in spiritum sanctum se contaminassent ideoque nullam veniæ spem habuissent. Existimat denique, peccatum in spiritum sanctum distinguendum esse a reliquis conuiciis, quæ iudæi christo fecerint, quum iste inter mortales versaretur. \* Qui reputat, peccatum hoc non respicere ad dona spiritus sancti, post christi reditum ad pristinam vitam atque adscensum in cælum, præcipue apostolis extra ordinem data; sed generatim ad doctrinam euangelii, qua spiritus sanctus, veluti medio conuersionis, maxime fidei, vtitur: seruatorem *Matth. XII. 31. sqq.* de peccato hoc ita loqui, vt crimen et in filium hominis; et in spiritum sanctum, nulla alia re interposita, coniungat ac pharisæos vtiusque, præsentis atque eodem tempore facti, adcuset: omnia porro sermonis huius verba: omnes illius rationes ostendere, christum peccatum hoc non ad ætatem munerum spiritus sancti; sed ad quoduis tempus retulisse: eorum, qui dona spiritus sancti antea adspersati sunt, multos, ad deum conuersos, in gratiam cum eo rediisse, qui cuncta hæc cogitat, quale pretium sententiæ *WHITBII* sit statuendum, facile videbit eamque penitus esse falsam, iudicabit. \*\*

ALII inter reformatos ea quidem de peccato in spiritum sanctum dicunt, quæ vera sunt et ad peccatum hoc, veluti adiuncta, pertinent; qualis autem eius sit essentia: qualis eiusdem atque aliarum noxarum differentia, non omnes plene, distincte atque adcurate exprimunt; nec eorum in ratione, peccatum illud definiendi; aut describendi, consensus est. *VLTRICVS ZVINGLIVS* de isto scribit: \*\*\* *peccatum, quod nunquam remittitur, incredulitas est: hoc vnicum peccatum est, quod deus non remittit, minus recte.* In sola enim incredulitate essentia peccati in spiritum sanctum haud posita est, quum constet, inesse illam in infantibus, nondum saluari aqua ablutis:

\* *adpentic. ad Matth. XII. in eius commentario et parapbr. in nou. testam. anglie London. MDCCIII. fol. edito, cuius argumenta percensentur act. eruditior. MDCCIV. p. 145.*

\*\* *conf. GRAPIVM theolog. recens. controu. continuat. cap. VI. quæst. 15. p. 188.*

\*\*\* *explanas. articulor. tom. 1. eiusdem oper. p. 97.*



lutis: in hominibus profanæ ac superstitiofæ religionis: in iis, qui diuinæ doctrinæ ignari sunt; quis tamen dicat, reconciliationem cælestis gratiæ apud eos haud fieri posse. At vero ZVINGLIUM quadam ratione excusandum esse, arbitramur. Alio enim loco \* vberiore et ad naturam peccati huius magis adcommodatam exhibet explanationem: *peccare in spiritum sanctum, inquit, est, diuinæ virtuti, potentie, veritati agnitæ et manifestæ obstare ac repugnare; aut eam calumniari et blasphemare atque in hac blasphemia perseuerare et ex destinata malitia, non ex infirmitate; aut ignorantia peccare; nec redire; aut resipiscere.* Recte hæc scripsisse ZVINGLIUM atque id, quod peccati in spiritum sanctum proprium est, significasse, fatendum est, perpetuum quippe hominis, cognitione veritatis diuinæ instructi, studium, resistendi ac repugnandi contra gratiam spiritus sancti conuertentem. Quæ IO. CALVINVS \*\* tradit, ea ad indolem peccati huius perfecte explicandam non sufficiunt ac minus, quam par est, ante oculos nobis ponunt. Quando enim dicit: *nunc tenemus, probro adficere spiritum dei, qui destinata malitia eius gratiam et virtutem oppugnant; neque id modo; sed tale sacrilegium non committi, nisi tum habitantem in nobis spiritum scientes extinguere, conamur.* Atque hæc ratio est, cur spiritus probro affici potius dicatur, quam vel filius; vel pater ipse, quia videlicet dei gratiæ et virtuti detrahendo, spiritum recta impetimus, a quo prodeunt et in quo nobis adparent, ac quibusdam interpositis: *in spiritum non maledicit, nisi qui ab eo illuminatus impiæ rebellionis sibi conscius est, omittit, spernendam esse spiritus sancti gratiam vsque ad mortalitatis finem, si quis iure noxæ huius reus declarari debeat.* Addendum hoc fuisset eam ob causam, quia omnino fieri potest, vt qui, conscientia veritatis conuictus, malitiosè adhuc impediuit, quo minus meliorem mentem reciperet, is ad deum reuertatur, antequam abeat e vita. IO. PISCATOR \*\*\* rem, de qua differimus, ita enarrat: *peccatum in spiritum sanctum est blasphemia perpetua agnitæ*

\* adnotationibus in euangel. Marth. list. p. 138.

tom. IV. oper. p. 64.

\*\* commentar. in quatuor euange-

\*\*\* thes. theologic. volum. I. p. 115.



agnitæ veritatis, nempe quum reprobis, contra conscientiam perfide deficientes a veritate agnita, malitiose et pertinaciter eam abnegant, calumniantur, damnant et persequuntur, atque addit: dicitur peccatum in spiritum sanctum, quia pugnat cum officio et actione spiritus sancti. Non longe ab his discrepant, quæ apud alios reformatos habentur, nominatim: AMANDVM POLANVM A POLANS DORF, \* cuius descriptio est: peccatum; seu blasphemia in spiritum sanctum est peccatum, quo abnegatur; vel oppugnatur veritas diuina destinato consilio, postquam de veritate testimonio spiritus sancti mens edocta et conuicta est: FRANCISC. GOMARVM, \*\* qui hanc dedit definitionem: blasphemia in spiritum sanctum est impietas reproborum, qua ex peruerso sui amore et destinato euangelii et christi odio spiritum sanctum, de euangelii veritate ac christo testantem, contra conscientiam maledictis oppugnant, vt gloriam christi opprimant et cupiditatibus securius inserviant: SAMVEL. MARESIVM, \*\*\* qui ad formam peccati huius requirit: cognitionem sufficientem diuinæ veritatis ac voluntatis per illuminationem spiritus sancti: malitiosam cognitæ veritatis reiectionem ac perseuerantiam in scelere ad finem vsque, atque apud reliquos, maxime recentiores. Inter hos SALOM. VAN TIL \* putat, eos esse in culpa peccati in spiritum sanctum, qui illius opus economicum, id est, illuminationem euangelii cum summa atrocitate vilipendant: IOAN. MARCKIUS \*\* idem peccatum appellat euangelicæ veritatis, per interiorum illuminationem agnitæ, siue totius; siue alicuius necessariæ, reiectionem malitiosam, producentem blasphemiam, persecutionem et impenitentiam, hinc plane irremissibilem. Simili modo BENEDICT. PICTETVS \*\*\* rem explicat, ac quando ABR. HEIDANVS \* dicit,

## B

## pec-

\* Synagmat. theol. christian. libr. VI. cap. 3. p. 219f.

\*\* explic. locor. euang. Matthæi, quæ est in eius operib. theol. par. I. p. 62.

\*\*\* dissertatione de peccato in spiritum sanctum, addita eius dissertationibus de syncretismo et reconciliatione partium in religione dissidentium ac de legitimis causis nostræ ab ecclesia romana secessionis,

Geneu. MDCLXII. 4. p. 45. sqq. atque eiusdem fascicul. myrrhæ p. 813.

\* in theolog. viuisque, cum naturalis; tum reuelatæ compendio, p. 104.

\*\* compend. theol. christian. cap. xv. §. 40. p. 323.

\*\*\* theol. christ. libr. VI. cap. 12. p. 845.

\* corpor. theolog. christian. loc. VI. tom. I. p. 506.



peccatum hoc *in eos solum cadere, quibus spiritus sancti lux ita adfulserit, ut bonum dei donum gustarint et esse vniuersalem apostasian et defectionem a deo, qua ipsius dei maiestas ex certa et destinata malitia petatur atque illi proprium, ut qui eo irretiantur, impossibile sit, renouari ad penitentiam, non multum dissentit: magis verbis; quam re ipsa, id quod etiam de aliis pronuntiandum est.* Sic PETRVS VAN MASTRICHT\* tradit, peccatum in spiritum sanctum *non tam in essentiam; aut personalitatem spiritus sancti, quam quidem in eius officium et operationes æconomicas esse contumeliosum ac committi et in euangelium, quod sit spiritus ministerium, et in eius officium, ac FRANCISCVS BVRMANNVS,\*\* peccatum hoc fieri, si quis christi sacrificium reiiciat: crucem seruatoris contumeliis adficiat: sanguinem eius vilem habeat: denique ipsam gratiam et operationem spiritus, qua sola homo iste conuerti deberet, infestetur; IO. PARIS\*\*\* autem scribit, eum contra spiritum sanctum peccare, qui operationi ac conuictioni illius malitiose resistat mediæque conuersionis obstinate respuat.*

IN his sunt multa vera; simul autem minus adcurate definita. Recte, quorum nunc enarrauimus sententias, reformatæ ecclesiæ addicti statuunt, neminem in suspicionem peccati in spiritum sanctum venire ac iure illius insimulari posse, nisi in eo lumen doctrinæ euangelicæ accensum fuerit: peccato hoc non personam; sed officium spiritus sancti violari: habere istum perpetuam voluntatem, gratiæ diuinæ resistendi; hac autem de caussa haud fieri, ut deus crimen hoc condonet. Nec plene tamen omnia posita sunt. Peccato hoc inquinatos in numero esse reprobatorum; siue eorum, quibus deus ab æternitate sempiternum supplicium decreuit, a reformatis putatur; neque, si res in se spectatur, male. Deus enim, illos gratiam constanter et vsque ad mortem reiecturos esse, præuidit hacque de re decretum fecit de illorum damnatione, idque, uti adpellatur, *hypotheticum.* At vero quum reformati pro decreto *absoluto* ac gratia

\* theol. theoretico-practic. libr. IV.

cap. 3. §. 16. p. 362.

\*\* synops. theolog. libr. II. cap. 10. §. 12. tom. I. p. 459.

\*\*\* miscellan. theoretic. practic. quæ Cantabrig. MDCCLXVI. 8. prodierunt, prælection. V.



gratia particulari pugnant, de eiusmodi reprobis haud dici potest, eos esse illuminatos: spiritui sancto pertinaciter resistere atque ob hanc perpetuam malitiam omni veniæ spe carere, quia ex reformatorum opinione gratia ad istos non pertinet. Quando præterea monstrare volunt, quid sit peccatum in spiritum sanctum, nonnulli principalem eius characterem omittunt, malitiosam repugnantiam contra spiritum sanctum, quæ ad mortem durat.

SI quæretur: num quis ac qualis haberi debeat peccato in spiritum sanctum contaminatus? iidem diuersa ratione respondent. Cuius paullo ante mentionem fecimus, FRANCISC. BYRMANNVS \* non facile de peccato hoc iudicandum esse, putat ac causam adiungit his verbis: *latet enim plerumque persuasio ac conuictio conscientie, quæ hic prærequiritur; nec ipsa spiritus sancti calumnia ac blasphemia adeo manifesta est, quod argumentum quamuis in se non plane sit contemnendum; adcuratius tamen quæstionem decidisset BYRMANNVS, si ab eo pronuntiatum esset, de peccato in spiritum sanctum non prius dici posse, num id a quodam perpetratum fuisset; nec ne? quam post illius mortem. Ratio facile patet. Qui enim illius vere adcusandus est, is spiritui sancto resistere debet vsque ad vitæ finem; hoc autem ante obitum scire, haud licet. Fatemur tamen, et sententiam, post mortem ferendam, nonnumquam cum difficultate esse coniunctam. Ex his colligendum est, quid statuendum sit de IO. HENR. HEIDEGGERO, \*\* quando mentem suam hac de re ita prodit: *quum persuasio et conuictio plena veritatis interna sit, quæ signis quibusdam in eo, utcumque coniectari potest; at demonstrari adeoque ob caritatis genium definiri nullo modo potest: quin et odium ipsum et blasphemia spiritus sancti ex animo potius, in cuius adyta ingredi, nemini licet; quam ex verbis et factis aestimari debeat, non potest peccatum isthoc sine speciali reuelatione diuina cuiquam mortalium obiici, vbi quæ vltimo loco de speciali reuelatione diuina dicta sunt, non penitus adpro-**

B 2

\* excitato libro p. 459.

\*\* corpor. doctrin. christian. loc. x. §. 75. tom. I. p. 359.



banda esse videntur. Habentur omnino indicia, ex quibus licet non plane certa; maxime tamen probabilis cognitio fumenda est.

ADMITTI possunt gradus peccati in spiritum sanctum, si illi recte explicantur. Quales isti sint, ABR. RAMBVRTIVS\* tradit ac tres eorum pro diuersa gratiæ œconomia constituit: *primum* sub lege, quando quis doctrinam Moïsis, vt perniciosam infectatus est: *secundum*, quo pharisæi impliciti fuerint, quia, licet illi veritatem haud professi sint; contra scientiam tamen opera christi, a virtute spiritus sancti profecta, principi malorum dæmonum attribuerint atque ita in spiritum sanctum maledicta intulerint: *tertium* eorum, de quibus apostolus *ebr. vi. 4. 5. 6. x. 26.* dicat, illos christum, postquam eum amplexi sint, destinata malitia adspernari: conuiciis confectari: bellum ipsi ac doctrinæ christianæ indicere: totum fœdus dei reiicere, quos gradus, vbi isti rite intelligantur, in se haud improbandos esse, arbitramur.

EXPOSITIS iis, quæ argumenti nostri causa dicenda erant, vos, carissimi CIVES, adloquimur. Rediit tempus per cœlestem benignitatem, memoriæ mirificorum munerum, a spiritu sancto in legatos christi collatorum, sacrum: in christianorum costibus lætum ac festum: tempus, quod a vobis postulat, vt prauis cupiditatibus: vitiorum ac libidinum illecebris obsistatis, ac templa obeundo: orationes sacras attente audiendo: preces ad deum faciendo, omnes cogitationes curasque ad id conferatis, quod animos vestros ad sanctissimi spiritus beneficia impetranda ac conferuanda: ad sempiternam felicitatem consequendam aptos reddit. Agite igitur id, vt vobis sapienter recteque consulatis, memores simul laudabilis consuetudinis, erga sacerdotes nostros liberalitatis documenta edendi. P. P. primo die pentecostes anni christiani MDCCLVI.

\* *thesibus de peccato actuali, quæ in thesauro disputat. rheol. Sedauensum* habentur, volum. II. p. 326.

(L. S.)



00 A 6359

ULB Halle  
002 916 746

3



VD 18

W 17


Retrow











Farbkarte #13

B.I.G.

54

CATVM  
IN  
M SANCTVM

AD  
PENTECOSTES  
CELEBRANDA  
ADEMIA IENENSI  
PROPOSITA  
MENTATIO  
SEXTA.

DANNIS FRIDERICI SCHILL.

